



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1351 usque ad annum 1414

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118278

§. 53. Designantur Cardinales.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66293](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66293)

Sæcul. XIV.

A. C. 1366.

n. 14.

Eodem die 6 Octobris Patriarchæ Aquilejensi, & Suffraganeis ejus per epistolam præcepit, ut omnes dioecesanos suos ad ferendas Cyprio Regi ac Rhodiis suppetias hortarentur: promisitque plenam noxarum veniam illis, qui eos opera vel opibus juvarent suis. Eadem epistola missa fuit ad Episcopos Italiæ, Siciliae, Dalmatiæ, Germaniæ, & Franciæ. At sub illius obtentu deceptores quidam ad bellum sacrum animabant populos sine Papæ mandato; & inde sibi pecunias corrogabant: quod is edoctus imperavit Episcopis, ut eos in carcerem mitterent. Interim per litteras 23 Oct. datas Regi Cyprio suavit, ut pacem, vel inducias, quas posset, optimas cum Sultano iniret.

n. 13.

§. LIII.

Designantur Cardinales.

*Vita. p. 347.
p. 990.*

Die Veneris 18 Septembris eodem anno 1366 Papa Urbanus tres creavit Cardinales Presbyteros. Primus de SS. Joanne ac Paulo erat Guilielmus Sudrius Aquenæ prope Tutelam in agro Lemovicensi natus. Postquam Ordini Dominicano in cænobio Brivensi nomen dederat, Theologiæ laurea donatus, illam Carcassone docuit. Tum suorum provinciæ Tolosanæ, post biennium Sacri Palatii Magister, anno 1361 Episcopus Massiliensis

*Gall. Chris.
to. I. p. 658.*

sis factus, post quadriennium trium provinciarum concilio Aptæ Juliæ mense Majo anno 1365 interfuit. Secundus de S. Petro *ad vincula*, Anglicus Grimoardus Papæ frater, Episcopus Aveniensis. Tertius de S. Praxede, Marcus Viterbinus Minorum Ordinis Minister Generalis.

Sæcul. XIV.
A.C. 1366.

§. LIV.

Papa Romam ire statuit.

Urbanus Romæ sedem figendo suam ardentibus incolarum votis satisfacere dudum decreverat. Vide, quomodo eis 23 Maji anno 1363 sui pontificatus primo scripserit! Legatis vestris cum fiducia deteximus secretam nostram voluntatem eundi Romam. Expleremus illam celeriter, nisi expositæ illis magni momenti res obstarent, quas remoturum speramus Deum. Sequenti anno Imperatori Carolo gratias egit, quod se hujus itineris comitem humaniter ipsi obtulisset: & anno 1365 promissum Romanis factum iterans Episcopum Urbevetanum suum Romæ Vicarium reparare palatium Apostolicum jussit. Tandem hoc anno 1366 palam suum aperuit animum: & tum Viterbium, quo primum ire, & ubi aliquamdiu commorari volebat, tum Romam misit, qui præpararent ibi necessaria, & Cardinalibus domicilia designarent:

Rayn. 1363.
n. 7.

Id. 1364.
n. 10.

1365. n. 9.

Vita. l. I.
p. 373-374.